



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

3 Cur sponsalia præcedere nuptias bonum visum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

causam habent seruanda veniunt, *legem, C. de pact. l. i. eod. tit. lib. 2. P. tit. 14. l. 1. de const. pec. in P. vt non mirum si vt in ceteris rebus, ita & in matrimonio & filia nuptui tradenda vel accipienda. pacta valeant & recipiantur iure Romano, cum fidei exsolutio iuris naturalis sit. Et proinde non tantum Latio iure, sed etiam Græcorum more receptæ erant futurarum nuptiarum re-promissiones, cuius docet exemplum Xenophon *lib. 4. rer. Græca. dum scribit, Agesilaum cum Otyde rege Paphlagonum iunctis dexteris, de futuris nuptiis filia Otydis pactos, ille, inquit, ut fili. m. daret, alter vt duceret, sponderunt.* ¶ Et proprie spondere dicebatur pater filia ducendæ, despondere autem, pater adolefcentis vt innuit Terentius in Andria.*

Vtuo ad me venit, vnicam gnatum suam cum dote summa filio vt daret:

Placuit, despondi, &c.

Verum obseruandum est lege ciuili, inter sponsalia & nuptias dari medium, at interdum iure pontificio, quod diuinum imitatur aliquando, sponsalia nuptias esse: aliquando separari a nuptiis separantur quippe, quando per verba de futuro quis pollicetur se ducturum aliquam in vxorem: nam si per verba presentis temporis, accipio te in vxorem, vel accipio te in virum, tunc sponsalia illa nuptiæ sunt, *c. penult. de sponsal. apud Gregor.* Extat in eo volumine, quod ius orientale inscribitur, constitutio Alexii Comneni Imperatoris Orientis, emissamense Julio indictiois septimæ, anni ab orbe condito 6592, qua refertur antiquam legem & terminos sponsalium nuptiarumque separasse, harumque interuallum magis, quam Myrorum & Phrygum, vt est in proverbio, fuisse. Sed synodo sub Xiphilino habita, quæ multum inter se distabant in vnum contracta fuisse, cui subscripsisset bulla aurea imperator Nicephorus Botaniates. Atque idcirco sicut in nuptiis, sic & in sponsalibus sacram peragendam benedictionem, & præambulas nuptiarum preces, & huiusmodi sponsalia, si ætas fuerit contrahentium legitima, similem nuptiis habere vim & indissolubilia esse, vt nuptias: & ita differre a lege sponsalium antiquorum, quæ tantum in consensu, & in archa & instrumentis conficiendis laborabat: quod si inquit sponsalia quædam secundum multorum consuetudinem congruenteriam contracta fuerint, & instrumenta iam contracta sint, nondum autem statutum tempus, quo Christianis debita benedictio fieri consuevit, aduenerit, neque solemn: super desponsatis preces per sacerdotes pronuntiatæ fuerint, hæc sponsalia quantum ad exactam ecclesiæ dissertationem, neque esse, neque diuina possunt, neque vero aduersus hæc synodalis subnotatio efficaciam habet: sed tanquam hominum placita simpliciter per stipulationes confirmata auctoritate ferunt, veta-
7 sponsalia nuptias non contrahunt, quædam contrahunt: quædam dissolui si de futuro sint possunt: quæ de presenti non possunt, *Innocent. 3. in c. 2. & syn. de sponsal. lib. 4. Decret. Et enim pactioes tolluntur eodem consensu quo constitutæ sunt, l. nihil tam nauis, de reg. iur. in P. Neratius, l. ab emtione, §. de pact. lib. 2. P. tit. 14. Cord. c. 1. §. 1. & Dioctet. & Maxim. CC. 2. quan. uice. ab emt. d. sed. lib. 4. C. tit. 4. cum similib. si nullum sacramentum, nullave benedictio interuenit, vel nisi presentis consensu, temporis pacta in nuptias transferunt: alique sic desponsata, renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibetur, ex constitutione Dioctetiani & Maximiliani CC. l. i. de sponsal. C.*

8 ¶ Nec potest cogi qui quæue futurum matrimonium promittit, nuptias celebrare: nisi iuramentum, quod firmet promissionem interuenerit, *c. ex literis, c. 10. de sponsal. ap. Gregor.* quæ sponsalia pure & sine conditione facta corroborat: alioquin enim si conditiones essent appositæ vt de aliis obligationibus conditionalibus implendis iudicandum est *c. de silis, c. super cum c. certus, de conditio. appos. lib. 4. Decr. tit. 5.* Possent tamen ex consensu ab sponsalibus resilire contrahentes iuramento firmatis nam iuramentum adiectum intelligitur, si in eadem voluntate perseuerauerint, non aliter *gl. in c. 2. de sponsal. ap. Gregor. can. ne quis arbitretur, 22. q. 2. c. quemadmodum. c. 2. §. de iur. i. lib. 2. Decr. Greg. tit. 24.* ¶ Sed & Constantius statuit, vt his qui puellam sibi pactus est intra prouinciam degens biennio, scilicet monitus, superederit ducere eam, illa possit impune alii nubere, *l. 2. de sponsal. lib. 5. C. tit. 1. & l. 4. lib. 3. C. Theod. tit. 5. etsi in peregrinatione sit, post triennium, Valerian. & Galien. l. 2. de repub. lib. 5. C. tit. 17.* Et ante quoque potest impune repudium mittere, si archa data non sit, *l. 1. C. de sponsal. notat gl. in l. 2. de repub. C. in v. bo. remittere, & nisi et-*

iam iusta causa excuset moram triennii vel longiorem, vt notat Caius *l. sepe, 17. de sponsal. in P.* Statuit tamen Octauius teste Diogene Cassio *lib. 56. Hystor. Romæ* ne qua pactio nuptialis rata esset, vbi ultra biennium essent nuptiæ differendæ, id est, vt ea omnino decem annos nata esset, quam despondere aliquis & cuius fructum bonorum percipere vellet. Et iura pontificia, in simplici promissione futurarum nuptiarum, si mora fiat longiori peregrinatione, vel spatium decurrat trium vel quatuor annorum, permittunt ei, per quem non steterit, quo minus nuptiæ factæ sint, aliam ducere, vel alii nubere, *Alexand. 3. in c. de illis, c. 5. & Innocent. 3. in c. sicut ex literis, cap. 22. de sponsal. lib. 4.* Extat & lex Rhotarii regis Langobardorum, *l. 1. de sponsal. lib. 2. legum Langobard.* seu Insubrum, quæ permittit parentibus sponsæ alii eam libere coniungere: si post biennium ab sponsalibus monitus, vt tollat sponsus sponsam intra certum tempus, distulerit, tollere. ¶ In nuptiis tamen contractis vel sponsalibus de presenti, placuit iuris pontificii auctoribus nunquam vxorem quæ absentem habet virum posse alii nubere, etsi is per multum tempus absuerit, & ignoretur vbi sit, nisi certum prius nuntium de eius morte acceperit, *Clem. 3. in c. in presentia, c. 19. de sponsal. lib. 4. Decret. tit. 1. c. dominus, de secund. nupt. eod.* quibus iura ciuilia subscripterunt, *auth. hodie, de repud. C. §. quod autem, vt liceat matri & amæ, in auth. colla. 8.*

Cur sponsalia præcedere nuptias bonum visum sit. Cap. 3.

1. 2. Sponsalia præcedunt matrimonium, primum vt habeatur parentum coniungendorum consensus.
2. Oppia lex mulieribus liberam sui adimebat potestatem.
3. Sponsa Mosconia non videtur, priusquam a parentibus sponsalia firmata sint.
4. Sponsalia 2. præcedunt nuptias, vt interim probent vicissim mores coniungendi, num firmi conuenire possint, & mos in his antiquorum.
5. Sponsalia 3. præcedunt nuptias, vt interim se parent coninges ad onera.
6. Sponsi vel ducentes vxorem a bello per annum immunes.
7. Sponsalia differunt 4. nuptias, vt vxoris desiderium indatur, & carior sit.
8. Sponsalia differunt nuptias 5. vt interim dotis ecunia colligatur, in nuptiis soluenda.
9. Sponsalia differunt postremo, vt denuntiatione facta in Ecclesiis, nuptiarum impedimentis, si qua sint, ponantur.

Visum tamen est cum necessarium, tum vtile multiplici ratione, vt sponsalia nuptias præcederent. Quam prior esse videtur potestas aliena, cum nubenda futurus non sunt, quæ haberetur consensus parentum, in quorum sunt potestate, *Paul. l. in sponsalibus, 7. & V. ian. l. in potestate, 10. de sponsal. lib. 2. P. tit. 1. Paul. l. 2. de ritu nuptiar. lib. 23. P. tit. 2. l. 6. vt proponis, C. de nupt. potissimum tempore eo, quo matrimonium ethnicis & politis regebatur, non diuinis legibus. Nam & hic, parentum potissimum in nuptiis contrahendis exigitur, vt dicemus Deo iuante paulo post in nuptiis. ¶ Et tamen refert Lilius *lib. 4. quod M. Porcius Cato pro lege Oppia dicebat, maiores voluisse, nullam nec minimam quidem rem, sine auctoritate sceminas agere, sed in parentum fratrumve aut liberorum potestate eas esse. Visumque est commodius prouidentia patrum electionem hanc committere, qui consilium sapius capiunt pro liberis, Papi. l. nec in ea lege 22. ad l. Jul. de adult. lib. 4. P. tit. 5. & quorum affectioni nulla alia comparari potest, Iust. in l. in de cura, iur. lib. 3. C. tit. 70.* quam ipsis filiabus, cum sepe laborent eorum consilia aduersus propria commoda, *Honor. & Theod. l. 4. de sponsal. C.* ¶ Apud Mosconitas tamen nec hodie sponsalia visuntur, sed iubetur sponsus discere ex aliarum inspectione, qualis ea sit, qui prius inter parentes maximis pænis fuerint sponsalia firmata, *Sig. smundus liber Baro, lib. de reb. Mosconia pag. 47.* ¶ Alia ratio, vt cum indicio quis vxorem ducat, & experiatu has inter moras perfectionis nuptiarum, ingenium & mores coniugis, quibus in perpetuum & quandiu vixerit viuus est, sicque non oculis vel digitis, vt tradit Plutarchus in præcepto comubial vxorem eligat, non pulcritudine, non dotem tantum consideret, sed num possit iugum indissolubile cum ea coe coniugere ducere. Et vbi maius periculum, ibi consultius agendum est, *vbi periculum, de elect. in 6.* Sic longius tempus, nempe semestre ad præsentandum patrone ecclesiastico, cui non licet variare, quam laico, cui tantum largitum est qua-*

drimestre. quia variat. conceditur. *cap. 1. de iur. patron. in 6.* Et spatium deliberandi datur a iure hereditibus ad considerandam & cernendam hereditatem, pro qua ad eundem futurum est illos are alieno teneri. *Iustin. l. fin. de iur. deliber. lib. 6. C. titul. 30.* Mos quoque veteribus erat teste D. Chrylostomo *Homil. 43. in Genesin tom. 1. & tom. 2. Homil. 4. in Mattheum.* antequam cōcumberent, sponsalia facere, simul quoque cohabitare desponsatis, & cum parentibus conuersari. *id quod nunc, inquit. sepe fieri solet.* vnde Loth vocat. *Genes. cap. 19.* generos suos desponsatos filiabus suis, quamquam diceret quod viros non cognouissent. ¶ Tertio, præcedunt sponsalia, ¶ vt qui vxorem est ducturus iam, re ipsa præmonitus componat mæstos interim penates, & apparet ea quæ subeundis oneribus certe grauissimis sunt necessaria: plura enim maritus vxori præstare debet, quæ vel maritupio, vel animi patientia soluenda sunt, vel iugi tristitia ferenda. ¶ Quamobrem ob tantum negotium, datur iure diuino sponsis & nuper coniugatis immunitas a bello. vt per annum a desponsatione & nuptiis, in bellum non eant, vt ait Iosephus *lib. 4. antiq. Iudaic. ca. 6.* Moses *Deutor. c. 20.* & Machabæorum Historia *l. c. 3.* ¶ Quarto ¶ differuntur nuptiæ, vt per dilationem carior vxor in posterum sit, & magis diligat eam affectuam vitæ, quam ante suspirauerat. *can. Institutum, 27. q. 2. ex D. Augustino lib. 4. confessio.* ¶ Quinto, ¶ vt possint qui nupturâ dotant pecunias congerere, quas coniugi dent: nec enim debet statim maritus venire cum sacco paratus, vt de creditoribus repetentibus debita dicitur, *Paul. l. quod dicitur, 105. de solutio, lib. 46. P. tit. 1.* Et debitoribus etiam non petentibus danda est ciuilibus quædã dilatio, teste Chalcistrato *l. de in iudic. lib. 42. P. tit. 1.* Danda autê statim esset, si nuptiæ simul & eodem actu fierent cum sponsalibus, vt pote quod onera inciperent penes maritum esse, pro quibus. *Dioclet. & Maxim. l. pro oneribus 20. de iur. dot. lib. 5. C. tit. 12. cum similib. ibi nota.* ¶ Sexto differuntur, ¶ vt interim ante nuptias proponi possit a curionibus in ecclesia publice matrimonium futurum, cum imposita tēporis intercapedine, vt si quod impedimentum sit in gradu vel affinitate, vel alterius coniugis, coniugium opponatur & proberetur, *c. cum in iudicio de claudes. desponsat. vt latius dicemus Deo fauente paulo post in substantiabilibus & ritibus nuptiarum.* In summa sic monet Quindius, *Fa. storum.*

Nubere si qua uoles, quamuis, & operaberis ambo, Dissert. habent parua comoda magna mora.

De Personis quæ pro aliis sponsalia contrahunt. Cap. 4.

- 1 Sponsalia per se & per alios contrahunt sponsi.
- 2 Cuius uel lege sponsi se mutuo eligunt: uxores una cū uiris comburantur.
- 3 Sponsalia promittuntur filiorum plerumque a patribus, & dissoluantur, nisi sint emancipati.
- 4 Sponsalia pro impuberibus uel filisfam. a parentibus facta nō ualent, nisi adulti consentiant ipsi.
- 5 Filii consentiunt consentire patri, nisi expresse repugnent.
- 6 Sponsalia fiunt inter absentes per nuntium, procurratorem, epistolam. Rebecca Isaac per nuntium desponsata, &c.
- 7 Sponsalia non faciunt affinitatem.

Sponsalia & per coniuges futuros, & per alios nomine illorum contrahi possunt. ¶ In India ¶ lex propria fuit Cathæorum, vt sponsus & sponsa se mutuo eligant auctore Strabone *lib. 15. Geograph.* item vt uxores cum uiris defunctis comburerentur, ob hanc causam, quod cum aliquando adulescentulæ ad marem a uiris secedebant, vel uiros interimebant. Consensu etiam eorum iure ciuili qui coniugendi sunt, si aut interdum sine patre, si sui iuris, interdum adhibito consensu parentum, vt plerumque. ¶ Patres ¶ namque despondunt filios & filias quas habent in potestate, vt in superiori capite in prima ratione notauimus. Nam hoc officium parentum est ad quod cogi possunt per magistratum, in matrimonium liberos collocare & dotare secundum Marciani Iuriconsulti responsum, *l. qui liberos 19. de rit. nupt. l. b. 23. P. tit. 2.* Idcirco desinatio & pactio parentum de nuptiis filiarum, si illi moriantur, uim post mortem illorum adhuc consequuntur, neque a transactione tuorum etiam minorum filiarum consensu irritantur, ex constitutione Honorii & Theodosii *CC. l. si ater postum 4. de sponsal. C. l. i. §. si nup. ex refer. p. tan. lib. 5. C. titul. 8.* potestque pater sponsalia a filiafa-

miliis facta dissoluere & nuntium remittere, non autem emancipata, auctore Vlpiano, *l. in potestate 10. de sponsal. in P. l. Iulianus 4. de repud. lib. 24. P. tit. 2.*

¶ Quæ ¶ de impubere filio filiæ dicta censentur. Nam pro 4 puberibus pater pacificus nihil agit *c. l. 2. 3. 4. de despons. impub. lib. 4. Decret. tit. 2.* nisi consentientibus illis quoque & adultis minoribus factis pactionem approbantibus. *Paulus, l. in sponsalibus 7. & l. si hofam, 13. Iulian. l. sponsalia 11. de sponsal. in P. Paul. l. 2. de rit. nup. lib. 23. P. tit. 2.* Ne cogitur filiasfam. vxorem ducere, ut ait Hermogenes *l. non cogitur 21. de rit. nupt. in P.* Matrimonia quippe libera, non coacta esse debent, *Alexan. Imper. l. 2. de inutil. stipul. lib. 8. C. tit. 39. Dioclet. & Maxim. l. nec ab initio 14. de nup. l. lib. 5. C. tit. 4. Leo & Anthemius, l. fin. §. si. de spons. C. Paul. l. Titia. l. 134. de verb. oblig. lib. 45. P. tit. 1. c. gemina mulier requisit, de sponsal. apud Gregor.* Censentur tamen liberi uoluntati parentum consentire, nisi expresse repugnent. *Vlpian. l. sed ea que patris 12. de rit. nupt. lib. 23. P. tit. 2.* ¶ Itaque ¶ illis uolentibus pacta rata erunt. ¶ Sicuti ¶ & per procurratorem possunt sponsalia contrahi, & per nuntium, & per epistolam inter absentes, *Vlpian. l. 14. §. si. de sponsal. in P. si absentes sciant uel ratum postea habuerint. ut ait Pomponius, l. hac ita 5. de spons. in P.* Desponsauit ut Rebecam Isaac per seruum missum ab Abrahamo, *Genes. 24. pater.* ¶ Per ¶ sponsalia non contrahitur affinitas, siue per uerba de præsentibus, siue per uerba de futuro fiant, *ca. sponsum, de spons. ap. Greg. vt & notauimus latius in c. de affinitate.*

De Ætate & Qualitate sponsæ & sponsi. Cap. 5.

- 1 Sponsalia inter puberes & impuberes quomodo & quando contrahantur.
- 2 Sponsalia contrahi possunt a quolibet maiore septem annis, sed sine sacris ritibus usque ad decimum tertium annum mulieres, & quatuordecimum uiri.
- 3 Ius orientale collectum per Enimundum Bonofidium.
- 4 Sponsalia qua impediantur ex regula generali.

¶ Via ¶ in negotiis cōtrahendis pupillus legitimo adueniente auctore obligari potest, *Caius, l. obligari 9. de aucto. tut. lib. 26. P. tit. 8. §. 1. eod. ad Iustin. §. furiosus. de inutil. stipul. l. quamuis 32. §. insani, de acquir. poss. lib. 41. P. tit. 2. l. in negotiis 5. de reg. iur. lib. 50. P. tit. 17. facit rell. l. si insani 18. §. fin. de iur. deliber. lib. 6. C. tit. 30.* & contrahere: at ante septem annos non potest auctori etiam dici consentire. Ideo Iulius Paulus *lib. 2. recep. sen. c. 20.* sponsalia tam inter puberes, quam impuberes contrahi posse tradit. Et Modestinus *l. in sponsa. lib. 14. de spons. in P.* respondit, in sponsalibus contrahendis non esse certam ætatem definitam ut in matrimoniis. ¶ Itaque ¶ a primordio ætatis fieri possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores quam septem annis: sequuntur & leges pontificiæ id ipsum, *c. literas, & c. anobis, de desponsat. impub. can. 1. & 2. 30. qua. 2.* Confirmat hoc & nouella Leonis Cæsaris, quam refert Constantinus. Hat menopolus *lib. 4. promissu iur. tit. 1.* uerum prohibuit ibi sacris ritibus sponsalia firmari, prius quam sponsa 13. annum, sponsus 14. fuissent ementi: quod & statuitur constitutione Alexii Cæsaris orientis, quæ inibi iungitur ab Harmenopulo. ¶ Er in iure ¶ orientali collecto per Enimundum Bonofidium, in constitutionibus imperatoris orientis. Loquuntur autem illi de sponsalibus quæ nuptiæ dicuntur, post quas commiscebantur cum sponsis minoribus sponsi, quod potius erat incientium libidinis & corruptio nature, ante legitimam ætatem: cum tamen uere essent sponsalia futuri matrimonii, non nuptiæ, etsi celebrate illa fuissent, vel in domum ducta sponsa, ut notat Vlpianus ex Iuliani & Labeonis responsis, *in l. quæ situm est 9. de sponsalib. in P.* Eritque qualitas hæc legitima in sponsalibus requisita, consequenter si agatur de futura promissione, ætas, quæ intelligatur maior septem annis, dummodo aliud non probata.

¶ Multa ¶ enim sunt quæ officere sponsalibus, præter impedimentum ætatis possunt, quæ hæc breui concludi possunt regula: ut id quod nuptias fieri inhihet, si in sponsalibus reperitur quod perseverare possit usque ad nuptias, impediatur quoque sponsalia, *Vlpian. l. Oratio 16. de sponsal. in P.* Quo fit, ut impedimenta nuptiarum tempore cessantia, non impediatur sponsalia. *Paul. l. 1. si quis officium 38. de rit. nupt. lib. 23. P. titul. 2. Gratianus & Valentin. l. uic. si rellor prouinci. uel ad eum pertin. &c. lib. 5. C. titul. 2.*

